tionem seu superioritatem infra territorium alterius iurisdictionis requiritur titulus cum ius comune faciat contra prescribentem eo, quia falcem mictit in alienam messem, ut in c. primo. de. prescri. li. .vi. (VI 2.13.1), eodem titulo. si diligenti. (X 2.26.17) et quod ibi no. facit c. ad decimas. de resti. spo. li. .vi. (VI 2.5.2) Nam ex hoc ipso qui transgreditur terminos suos presumitur in mala fide si titulum non habet, facit de religi. domi. c. cum venerabil. et c. cum dilectus. (X 3.36.7 et 8) Iste autem dominus episcopus nullum titulum suum vel suorum predecessorum ostendit, sed solum usum seu possessionem tanti temporis, que presumitur clandestina et vitiosa si constat de antiquiori possessione civitatis Masse et quod dictum flumen ab antiquo dicta territoria dividerit, C. de acq. poss. l. improba. (C. 7.32.7) et in capitulis supra allegatis et sic non sufficit ad prescribendum maxime de iure canonico, secundum quod requiritur bona fides que hic abesse presumitur cum ius comune contra prescribentem faciat ut dicto c. primo de prescri. li. .vi. (VI 2.13.1) Secundo principaliter premicto ad evidentiam quod ad probationem terminorum seu confinium sufficiunt adminicula seu quecumque verisimiles coniecture et presumptiones, nec requiritur directa et exquisita probatio, hoc probatur in c. cum causam. in textu et glossa Extra. de proba. (X 2.19.13) et est ratio, quia propter eorum antiquitatem raro contingit quod possint directe probationes haberi vel liquido probari, ideo sufficit probatio per argumenta, ff. de re mili. l. non omnes. § a barbaris. (D. 49.16.5.6(2)) facit quod no. Cy. C. ad legem Cor. de sic. l. .i. in fi. (C. 9.16.1) et l. si non convitii. C. de iniuriis. (C. 9.35.5) In prima opinione probatur ergo per famam publicam, concurrentibus aliis adminiculis, ut no. in dicto c. cum causam. (X 2.19.13), et testimonium rusticorum senum multum in hoc prodest, l. si corus. ff. de l. .iii. (D. 32.79(77)) Tertio premicto quod in probationibus que fiunt per argumenta, ille prefertur qui plura et validiora argumenta pro se habet, C. de edic. di. Adri. tol. l. edicto. (C. 6.33.3) ibi et ei possessio acquiratur qui potiora et cetera, sicut contingit in directis probationibus, quia ille prefertur qui plures et validiores testes pro se habet, ff. de testi. l. ob carmen. § fi. (D. 22.5.21.3) ad hoc Extra. de proba. c. ex licteris. (X 2.19.3) Quarto premicto quod termini seu confines territoriorum seu iurisdictionum debent esse notabiles et evidenciores quam termini agrorum privatorum, ut dicit Io. An. in dicto c. ex licteris. et c. cum causam. de proba. (X 2.19.3 et 13), unde lapides consueverunt esse termini agrorum iuxta illud Virgilii lapis erat positus fines ut discerneret agri; sed montes et flumina consueverunt esse limites et confinia territoriorum et iurisdictionum, ita no. in dicto c. super eo. de parro. (X 3.29.4) in glo. fi. et per Io. An. Hiis igitur premissis, respondendo ad id quod principaliter queritur, dico quod secundum ea que proponuntur comunitas Masse potior est et potiora iura habet in dicto tenimento quod vertitur in questione inter ipsam et episcopum, quam ipse episcopus. Et hoc tali ratione: nam dominus episcopus unum tantum habet et allegat pro se, videlicet /c. 68v/ quia ipse et sui predecessores fuerunt usi dicto tenimento a .lx. annis citra vendendo pascua et alia exercendo tamquam in tenimento Marcigliane, ex quo concluditur quod aut dictum tenimentum presumitur semper fuisse suum postquam est in possessione, ar. C. de rei ven. l. fi. (C. 3.32.28); quia ex presenti possessione presumitur in preteritum C. de proba. l. .iii. (C. 4.19.3) vel si aliquando fuit de territorio Masse prescriptum est spatio tanti temporis, ut l. .i. C. de an. exce. (C. 7.40.1) et quod no. g. ff. finium regun. l. prima. (D. 10.1.1) Ex adverso vero per comuniatem Masse allegantur alia quam plura, meliora et fortiora que debent vincere illud unum; tum quia una presumptio tollit alteram, ff. de proba. l. cum de indebito. § .i. (D. 22.3.25.pr) et no. in l. divus. ff. de in integrum resti. (D. 4.1.7); tum quia duplex ratio vel causa vincit unam, in Aut. de consan. et ute. fra. § hec autem omnia. (Auth. 6.12=Nov. 84.1.1), C. de adop. l. cum in adoptivis. § si vero pater naturalis. (C. 8.47.10.1), facit l. duplex. C. de fid. instru. et iure aste fisca. li. .x. (C. 10.3.2), ff. de questi. l. si quis viduam. (D. 48.18.5) coniuncta l. precedenti, Extra. de tregu. et pace. c. .i. (X 1.34.1) Sunt autem ista que faciunt pro comunitate Masse. Primo iuris prescriptio que est ut flumen predictum dividat dicta duo territoria prout dicit dicta comunitas, non autem lapides illi prout dicit dominus episcopus, et sic dictum flumen sit loco finium seu terminorum ut quicquid est ab una parte sit de territorio Masse et id quod est ab altera sit de territorio Marcigliano; hec autem iuris prescriptio resultat ex duobus que premissi; primo, quia ita consuevit esse quod flumina dividant territoria et iurisdictiones, lapides vero terminent fines agrorum, ut dicit Io. An. in dicto c. super eo. de parro. (X 3.29.4) et ibi etiam in glosella finali. Licitum est autem arguere a comuniter accidentibus, C. de arbi. l. prima. (C. 5.51.1) et ibi no. de proba. l. neque natales. (C. 4.19.10) in g. et per Cy. ff. eodem titulo. l. si pactum. in fi. et l. cum tacitum. in fi. et l. cum de indebito. § .i. (D. 22.3.9 et 3 et 25.pr). Sed ex quo resultat est, quia termini territoriorum et baroniarum debent esse notabiliores quam termini agrorum ut no. in c. ex licteris. et c. cum causam. de proba. (X 2.19.3 et 13) et sic est verisimile quod dictum flumen dividat et terminet territoria predicta, lapides autem illi terminent agros privatorum et, nisi de aliquo titulo per dominum episcopum doceatur, quicquid ultra flumen usque ad lapides illos possedit presumitur occupatum et usurpatum, .xvi. q. .iii. § potest et aliter. (Decr. Grat. dictum post C.16 q.3 c.7) et c. placuit. (Decr.

Grat. C.16 q.3 c.8) tamquam in alieno territorio, de usu pal. ex tuarum. (X 1.8.5) Sed principale quod facit pro comunitate Masse est quantum antiqui cives dicte civitatis actestantur quod ab antiquo dicta comunitas utebatur dicto tenimento tamquam proprio et tamquam existente infra suum universale territorium et vendebat pascua et alia faciebat tamquam in proprio territorio et quod flumen predictum dividebat dicta duo territoria. Hec autem actestatio senum multum in hoc prodest et operatur; primo propter antiquitatem terminorum iuxta no. per glo. in dicto c. cum causam. de proba. (X 2.19.13), unde potissime datur in hac fides antiquis, ut l. si corus. de lega. tertio. (D. 32.79(77)) Et statur fame, l. ii. § idem Labeo. de aqua. plu. arcen. (D. 39.3.2.8(5)), de proba. l. si arbiter. (D. 22.3.28) Secundo quia actestantur quod comunitas Masse fuit primo in possessione dicti tenimenti usque ad flumen et sic presumitur quod flumen sit terminus, ut dicit glosella finalis notabili in dicto c. super eo. de parro. (X 3.29.4) ibi. dum dicit puta per antiquiorem detentationem et cetera redditur eum flumen terminus indubitatus ex quo antiquior sit detentatio comunitatis usque ad flumen ut ibi expresse habetur in textu coniuncta glo. Item resultat ex hac iuris prescriptio quod detentatio seu possessio domini episcopi posita subsequuta fuerit vitiosa et clandestina nisi de titulo doceatur, ut l. improba. C. de acq. pos. (C. 7.32.7) et quod /c. 69r/ habetur in c. licet causam. de proba. (X 2.19.9) et quod dicunt doctores in materia interdicti et uti possidetis, videlicet quod si utraque pars pariter probat de possessione, preferitur ille qui probat de antiquiori, quia sequens presumitur vitiosa, nisi de titulo doceatur, debuit eum scire secundo occupans quod suum non erat ad alterum pertinere, l. cum querebatur, l. unde vi. (C. 8.4.11); ad idem bene facit, quia in finalibus questionibus, quando constat qui fuerint fines vel termini ab antiquo, illi hiidem presumunt hodie nec presumuntur mutati, nisi probentur ex iusta et legitima causa mutati, textus est ff. finium regun. l. in finalibus. (D. 10.1.11), ubi videtur causa nostre questionis. Nam per dictos testes antiquos constare patet quod flumen ab antiquo fuit terminus ditorum territoriorum et per dominum episcopum non ostenditur aliqua iusta causa vel titulus ex quibus ille terminus fuerit mutatus; igitur ille idem stare presumitur, ar. C. de ap. l. precipimus. (C. 7.62.32), de testa. l. sancimus. (C. 6.23.27) Ceterum constat illos senes posse in hac causa comunitatis testificari tum quia causa universitatis non est singulorum, l. in tantum. § universitatis. ff. de rerum divi. (D. 1.8.6.1); tum etiam ne veritas pereat cum per alios probari hoc non possit quam per illos qui sunt de utraque comunitate ergo et cetera, C. de repudiis. l. consensu. § super plagiis. (C. 5.17.8.6), Extra. de proba. l. tertio loco. (X 2.19.5) cum Sy. Tertium quod facit pro comunitate Masse est, quia quasi omnes possessiones que sunt in illo tenimento litigioso quantum ad dominium et proprietatem sunt civium massetanorum et in civitate Masse sunt descripte ad libram comunis tamquam existentes in territorio Masse et sic quantum ad honera realia et personalia, igitur presumuntur esse de territorio Masse duplici ratione: primo quia, nisi sic esset, sequeretur inconveniens, secundo quod dicte possessiones solverent seu talliarentur in duobus locis, scilicet in civitate Masse ubi sunt descripte ad libram et in castro Marcigliane de cuius territorio esse dicerentur, quid esset inconveniens ut dicit glo. C. de mulie. et in quo loco. l. i. (C. 10.64(62).1) super verbo propria. ut non ergo est presumendum quod comunitas Masse posuisset in sua libra tamquam in suo territorio existentes si non verba esset, quia gravaret subditos indubite, quod non est presumendum, ff. pro soto. l. merito. (D. 17.2.51) potissime, quia superior presumitur semper invigilare comodis subditorum et eis mederi non autem in comodis, C. de nuptis. l. imperialis. in prin. (C. 5.4.23) Secundo presumuntur esse de dicto territorio, quia ex eo quod sunt descripte ad libram in civitate Masse quanto ad honera realia et personalia apparet quod dicta comunitas Masse est in possessione superioritatis et quod sint de suo districtu vel territorio; nam territorium dicitur universitas agrorum eo quia ille ad quem pertinet terret possessores, ff. de verbo signi. l. pupillus. § territorium. (D. 50.16.239.8); districtus autem dicitur a distringendo eo quia ille ad quem pertinet distringit ibi delinquentes seu possessores ut no. in Clem. ne romani. de elec. (Clem. 1.3.2) et eodem titulo ubi periculum. li. vi. (VI 1.6.3) Cum igitur comunitas Masse habeat dictas possessiones descriptas in sua libra, patet quod ipsa comunitas terret et distringit possessores earum ad honera realia et personalia, igitur presumuntur de suo districtu vel territorio, ex quo est in possessione, iuxta no. in l. pe. ff. de condi. insti. (D. 28.7.27) et licet domini dicatarum possessionum passi fuerint quod episcopi fuerint usi aliqua superioritate in dicto tenimento: non tamen per hoc factum fuit preiudicium comunitati Masse que ex dicta descriptione libre et ex impositione honorum semper fuit in quasi possessione superioritatis, ut l. quamvis. § i. ff. de acq. pos. (D. 41.2.32.1) et quod ibi no. Item dicta comunitas utendo superioritate in uno censetur in omnibus ius suum retinuisse, quod sciebat ubique durare, ff. quibus modis ususf. amic. l. is qui usumfructum. (D. 7.4.20) et quod no. Extra. de censibus. c. olim. (X 3.39.20) et per Cy. in l. cum notissimi. § in hiis. de prescri. .xxx. an. (C. 7.39.7.6(9)), per Bar. de aqua plu. ar. si prius. in prin. (D. 39.3.17) et in Spe. de loca. § fi. versi. .xlii., de prescri. versi. quod si cum deber., per Io. An. in regula. plus semper. in mercu., /c. 69v/ nec ob si dicatur quod in libra Masse reperiuntur descrip-

te etiam res non existentes in suo territorio, quia verum est non tamen tamquam existentes in suo, sed tamquam existentes in alieno territorio et sic non quanto ad honera realia, quia illa imponuntur in territorio in quo sunt ille res, sed quanto ad personalia que imponuntur in loco ubi subdita est persona etiam pro rebus alibi sitis, ar. ff. de rebus eorum. l. mag. puto. § illud queri. (D. 27.9.5.12(2)); sed res et possessiones existentes in isto tenimento de quo est questio sunt descripte tamquam existentes in territorio Masse et sic quanto ad honera realia et personalia, igitur sic esse presumuntur. Item non obstat si dicatur quod in dicto tenimento sunt aliqua memora que non pertinent ad aliquam privatam personam et sic in illis non procedunt tamquam dicta sunt. Nam ex quo possessiones que sunt privatarum personarum preliantur per ea que dicta sunt esse de territorio Masse et flumen predictum esse terminum territorii; idem est censendum de dictis nemoribus que sunt in dictum terminum, ar. Extra. de religi. domi. cum venerabilis. et c. cum dilectus. (X 3.36.7 et 8) Quarto faciunt pro comunitate Masse instrumenta de quibus in puncto premisi que, licet non faciant plenam fidem de finibus predictis iuxta no. in l. cum aliquis. C. de iur. deli. (C. 6.30.21) et l. optimam. de contrahen. (C. 8.37(38).14), tamen cum hiis de quibus supra dixi admittuntur et fortificant ea sicut dicitur in Sy. ff. de testi. l. .iii. § tu magis. (D. 22.5.3.1) ibi veluti consentiens fama et cetera et quod expresse no. glo. in dicto c. cum causam. de proba. (X 2.19.13) Ex quibus omnibus sequitur quod possessio et usus .lx. annorum quam et quem allegat dominus episcopus parum sibi prodest; nam cum ex predictis quatuor verisimilibus et urgentibus coniecturis probetur quod flumen predictum fuerit et sit terminus dictorum territoriorum, que coniecture sufficiunt ad hanc probationem per no. in dicto c. cum causam. (X 2.19.13) Sequitur quod aut dominus episcopus allegat dictam possessionem .lx. annorum ad probandum prescriptionem et tunc sibi non prodest quia prescribere non potuit propter tria de quibus in<...> evidentiali premisi, aut allegat ad probandum quod semper sic fuerit et sic<u>d presumptionem inducendam et tunc s<ib>i non prodest, cum extent plures a<l>ie presumptiones in contrarium que vincunt istam unam per iura supra allegata. Sequitur ergo quod si questio hec in iudicium deduce<...> probatis per comunitatem Masse h<...>s que superius dicta sunt, nisi dominus episcopus de aliquo ydoneo titulo debeat, ferenda erit summa pro dicta comunitate. Nunc restat videre qualiter ius dicte comunitatis in praticam et in iudicium deducetur et hic respondeo quia primo querendum est iudex competens, qui poterit per rescriptum apostolicum in partibus impetrari ta<l>is coram quo sine magno dispendio possit lis agitari, quod puto u<t>i>lius quam sequi curiam archiepiscopi pisani; quo iudice habito formandus erit libellus in quasi confessoria cur agatur pro iure superioritatis quod est incorporale iuxta no. per Inno. de maio. et ob. c. inter quatuor. (X 1.33.8) et in multis locis et hoc in petitorio; poterit etiam possessorium restituere de possessione simul cum dicto petitorio intentari, de quo subiciam, quia simul cumulari possunt ut in c. pastoralis. de ca. pos. et propie. (X 2.12.5) Narrabitur ergo sic in libello qualiter tale tenimentum positum in tali et tali contrata iuxta tales et tales confines, ponendo confinia a quacumque parte et spetialiter flumen ab una parte, in quo tenimento sunt infrascripte possessiones videlicet et cetera; et ponantur omnes possessiones sigillantim et etiam nomina eorum ad quos pertinent; postea dicatur qualiter dictum tenimentum sic confinatum fuit ab antiquo et hodie est in territorio civitatis Masse et sic tentum, habitum et reputatum et quod comunitas Masse dictum tenimentum tenuit et possedit quoad superioritatem et iurisdictionem ab antiquo tamquam existens in territorio dicte civitatis; quodque territorium dicte civitatis protenditur in dicta contrata et ubi dictum tenimentum est usque ad tale flumen; quodque dictum /c. 70r/ flumen dividit et separat dictum tenimentum Masse a tenimento Marcigliane et est inter dicta duo territoria tamquam terminus seu confines et ita fuit ab antiquo tentum et reputatum et hodie tenetur; quodque possessiones existentes >existentes< in dicto tenimento sunt descripte in libra civitatis Masse tamquam existentes in territorio et infra territorio Masse et ita pro ipsis imposita fuerunt dominis et possessoribus et cetera honera realia et personalia per dictam comunitatem; quodque dominus episcopus Masse et sui predecessores ab aliquo tempore citra pretendentes se dominos castri Marcigliane quod situm est ab altera parte fluminis, pretendentes dictum tenimentum de quo supra esse de territorio Marcigliane, cum non sit transeundo flumen predictum, occupaverant dictum tenimentum et in eo ius superioritatis exercuerunt vendendo pasqua et glandes tamquam domini cum non sint et sic indebite et iniuste quodque requi<si>ti ut cessent a predicta molestia cessare recusaverunt et de predictis recusat presens episcopus.

Quapropter cum quisque debeat esse contentus terminis suis et alienum non expetere presertim episcopi et persone ecclesiastice, quia ecclesia cultrix iustitie non debet pati quicquam iniustum in se vel in altero fieri; idcirco petit syndicus dicte comunitatis decerni et declarari dictam comunitatem prius fuisse in possessione dicti tenimenti ac superioritatis super eo predicti episcopi sicque possessionis detentationem dictorum episcoporum et possessionem presentis episcopi fuisse et esse iniustam quasi violentam cum careat iusto titulo et idcirco dictum dominum episcopum con-

dempnari et condempnatum cogi et compelli ad relaxandum dictam possessionem dicte comunitati Masse et ad desistendum ab actibus superioritatis et ad hoc proponit actionem ex l. invasor. (C. 8.4.5) et l. cum querebatur. C. unde vi. (C. 8.4.11) et c. reintegrando. l. q. i. (Decr. Grat. C.3 q.1 c.3) in quibus possessoriiis agenti probare qualiter ipse fuit in possessione quam adversar. si ipse adversarius non docet detentio quia ex hoc presumitur sequens possessio ista et affecta vitio violentie vel clandestinitatis et venit restituenda sicut per interdictum unde vi possessio vere violenta. Addatur quod proponit ad hoc omnia iura sibi competentia postea subdatur. Item petit decerni et declarari dictum tenimentum esse in territorio comunitatis Masse et dictum territorium usque ad flumen extendi et territorium Marcigliane non extendi ultra flumen, ac etiam dicte comunitati Masse competere in dicto tenimento ius superioritatis et iurisdictionis tamquam existenti in suo proprio territorio et dicto domino episcopo et suis successoribus nullum ius competere super dicto tenimento, ac etiam declarari dictum flumen dividere dicta territoria et inter ipsa existens sicut terminus seu limes dictoque domino episcopo et suis successoribus super dicto tenimento perpetuum silentium imponendum ipsumque tenimentum fore et esse adiudicandum dicte comunitati et ad ipsam spectare et pertinere iure superioritatis et iurisdictionis, quod omnia sicut alia que sunt infra territorium dicte civitatis, et in hac parte interatur petiturum videlicet quasi confessoria et omne aliud ius competens eidem comunitati ac etiam addatur quod prefatus episcopus condepnetur ad omnes fructus et emolumenta percepta ex dicto tenimento, ff. finium regun. l. iiii. § primo. (D. 10.1.4.pr). Et ita dico et consulo ego Paulus de Castro utriusque iuris doctor et ad fidem me propria manu suscripsi et sigillo proprio sigillavi.

parte II: ASS, *Capitoli* 11, c. 198rv.

/c. 198r/ Coram vobis et cetera.

T. syndicus et sindicario nomine comunitatis Masse proponit contra et adversus reverendum in Christo patrem dominum E. Dei gratia episcopum dicte civitatis ac etiam dominum ut asserit in temporalibus et spiritualibus castri Marcigliane et contra quamlibet aliam personam pro eo legitime interventientem, et dicit quelibet quoddam tenimentum inferius descriptum et confinatam quod protenditur usque ad flumen quod vocatur \*\*\* et ibidem terminatur continens possessiones infrascriptas fuit ab antiquo et hodie est in districtu et territorio seu comitatu civitatis Masse, quodque comunitas dicte civitatis Masse ab antiquo super dicto tenimento superioritatem et iurisdictionem exercuit et in quasi possessione exercendi fuit tamquam in tenimento existente et situato in territorio civitatis predicte, quod quidem territorium protenditur in parte illa usque ad flumen predictum et terminatur in eo. Dicit etiam quod prefatus dominus episcopus et sui predecessores ab aliquo tempore citra occuparunt indebite et iniuste dictum tenimentum exercendo in ipso iura superioritatis et iurisdictionis et vendendo pascua et alia similia faciendo, pretendendo dictum tenimentum fore et esse de territorio castri Marcigliane pertinentis ad prefatum dominum episcopum, quod castrum ab altera parte fluminis predicti situatum est. Dicit etiam quod re vera territorium dicti castri Marcigliane protenditur usque ad flumen predictum et ulterius non egreditur sed in eo terminatur; et quod quicquid est ab ea parte fluminis in quo dictum tenimentum situatum est pertinet et spectat iure superioritatis et iurisdictionis ad dictam comunitatem Masse tamquam in suo territorio existens, quapropter cum predicta vera sint et cum unusquisque contentus esse debeat suis terminis et aliena non expetere precipue prelati et persone ecclesiastice. Idcirco petit prefatus syndicus per vos et vestrum officium decerni et declarari dictam comunitatem Masse fuisse in quasi possessione dicti tenimenti et exercendi super eo iura superioritatis et iurisdictionis tamquam in tenimento in suo districtu et territorio existente dictamque quasi possessionem comunitatis predicte fuisse antiquiorem quasi possessioni quam episcopus prefatus pretendit et eam in tempore precessisse prefatamque possessionem episcopi predicti postea subsecutam tamquam carentem titulo et alia iusta causa fuisse et occasione iniustam et affectam vitio quasi violentie seu clandestinitatis, prefatoque domino episcopo et suis successoribus inhiberi ne in dicto tenimento detentio iura superioritatis exercent, immo a quasi possessione predicta exercendi desistant et ipsam dicte comunitati a qua indebite occuparunt restituant; et hoc in possessorio proponens ad predicta possessorium legis invasor. (C. 8.4.5) et l. cum querebatur. c. unde vi. (C. 8.4.11) et c. reintegrando. l. q. i. (Decr. Grat. C.3 q.1 c.3) et omne aliud possessorium sibi competens. Petit insuper decerni et declarari dictum tenimentum pertinuisse et pertinere iure superioritatis et iurisdictionis ad dictam comunitatem Masse ipsumque tenimentum fore et esse infra territorium et districtum dicte civitatis Masse, ac etiam dictum territorium et districtum in parte predicta protendi /c. 198v/ usque ad flumen predictum territoriumque castri Marcigliane predic-

ti ab altera parte fluminis situati non extendi ultra dictum flumen, sed ibidem terminari; ac etiam petit in dicto flumine debere esse limites utriusque territorii similiter declarari nec non dictum tenimentum et quicquid ab ea parte fluminis in qua situatum est continetur eidem comunitati iure superioritatis et iurisdictionis adjudicari dictoque domino episcopo et suis successoribus super dicto tenimento et suis pertinentiis perpetuum silentium imponendum fore et imponi; et hoc in petitorio proponens ad predicta omnia iura sibi competentia et que competere possit.

Tenimentum autem de quo supra fit mentio est infrascriptum, videlicet: quoddam tenimentum positum in territorio civitatis Masse in contrata tali, cui ab una parte sunt infrascripta, ab altera infrascripta et cetera, ab altera est flumen quod vocatur et cetera et in dicto flumine terminatur.

Possessiones autem existentes in dicto tenimento sunt infrascripte, videlicet:  
 una possessio seu petium terre talis civis massetani tot steriorum terre posita in libra comunis Masse, folio tali et cetera;  
 item una alia possessio seu petium terre pertinens iure domini vel quasi ad talem civem massetanum posita ad libram dicti comunis, folio tali et cetera, et sic de singulis,  
 item unum nemus pertinens ad dictum comune et cetera.




Figura di mano di Paolo di Castro (ASS, Capitoli 11, c. 67v)